



30th Latin Summer School

January 2023

Class 3 b ii

Tutors:

Roger Pitcher and Alison Waters

# OVID *Amores* I

## I

Arma gravi numero violentaque bella parabam  
edere, materia conveniente modis.  
par erat inferior versus—risisse Cupido  
dicitur atque unum surripuisse pedem.  
'Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris? 5  
Pieridum vates, non tua turba sumus.  
quid, si praeripiat flavae Venus arma Minervae,  
ventilet accensas flava Minerva faces?  
quis probet in silvis Cererem regnare iugosis,  
lege pharetratae Virginis arva colit? 10  
crinibus insignem quis acuta cuspide Phoebum  
instruat, Aoniam Marte movente lyram?  
sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna;  
cur opus adfectas, ambitiose, novum?  
an, quod ubique, tuum est? tua sunt Heliconia tempe? 15  
vix etiam Phoebo iam lyra tuta sua est?  
cum bene surrexit versu nova pagina primo,  
attenuat nervos proximus ille meos;  
nec mihi materia est numeris levioribus apta,  
aut puer aut longas compta puella comas.' 20  
Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta  
legit in exitium spicula facta meum,  
lunavitque genu sinuosum fortiter arcum,  
'quod' que 'canas, vates, accipe' dixit 'opus!'  
Me miserum! certas habuit puer ille sagittas. 25  
uror, et in vacuo pectore regnat Amor.  
Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:  
ferrea cum vestris bella valete modis!  
cingere litorea flaventia tempora myrto,  
Musa, per undenos emodulanda pedes! 30

## IV

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem—  
ultima coena tuo sit, precor, illa viro!  
ergo ego dilectam tantum conviva puellam  
adspiciam? tangi quem iuvet, alter erit,  
alteriusque sinus apte subiecta fovebis? 5  
iniciet collo, cum volet, ille manum?  
desino mirari, posito quod candida vino  
Atracis ambiguos traxit in arma viros.  
nec mihi silva domus, nec equo mea membra cohaerent—  
vix a te videor posse tenere manus! 10  
Quae tibi sint facienda tamen cognosce, nec Euris  
da mea nec tepidis verba ferenda Notis!

ante veni, quam vir—nec quid, si veneris ante,  
possit agi video; sed tamen ante veni.  
cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto        15  
ibis, ut accumbas—clam mihi tange pedem!  
me specta nutusque meos vultumque loquacem;  
excipe furtivas et refer ipsa notas.  
verba superciliis sine voce loquentia dicam;  
verba leges digitis, verba notata mero.        20  
cum tibi succurret Veneris lascivia nostrae,  
purpureas tenero pollice tange genas.  
siquid erit, de me tacita quod mente queraris,  
pendeat extrema mollis ab aure manus.  
cum tibi, quae faciam, mea lux, dicamve, placebunt,        25  
versetur digitis anulus usque tuis.  
tange manu mensam, tangunt quo more precantes,  
optabis merito cum mala multa viro.  
Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse, iubeto;  
tu puerum leviter posce, quod ipsa voles.        30  
quae tu reddideris ego primus pocula sumam,  
et, qua tu biberis, hac ego parte bibam.  
si tibi forte dabit, quod praegustaverit ipse,  
reice libatos illius ore cibos.  
nec premat inpositis sinito tua colla lacertis,        35  
mite nec in rigido pectore pone caput;  
nec sinus admittat digitos habilesve papillae;  
oscula praecipue nulla dedisse velis!  
oscula si dederis, fiam manifestus amator  
et dicam 'mea sunt!' iniciamque manum.        40  
Haec tamen adspiciam, sed quae bene pallia celant,  
illa mihi caeci causa timoris erunt.  
nec femori committe femur nec crure cohaere  
nec tenerum duro cum pede iunge pedem.  
multa miser timeo, quia feci multa proterve,        45  
exemplique metu torqueor, ecce, mei.  
saepe mihi dominaeque meae properata voluptas  
veste sub innecta dulce peregit opus.  
hoc tu non facies; sed, ne fecisse puteris,  
conscia de tergo pallia deme tuo.        50  
vir bibat usque roga—precibus tamen oscula desint!—  
dumque bibt, furtim si potes, adde merum.  
si bene conpositus somno vinoque iacebit,  
consilium nobis resque locusque dabunt.  
cum surges abitura domum, surgemus et omnes,        55  
in medium turbae fac memor agmen eas.  
agmine me invenies aut invenieris in illo:  
quidquid ibi poteris tangere, tange, mei.  
Me miserum! monui, paucas quod prosit in horas;  
separor a domina nocte iubente mea.        60  
nocte vir includet, lacrimis ego maestus obortis,  
qua licet, ad saevas prosequar usque fores.  
oscula iam sumet, iam non tantum oscula sumet:

quod mihi das furtim, iure coacta dabis.  
verum invita dato—potes hoc—similisque coactae; 65  
blanditiae taceant, sitque maligna Venus.  
si mea vota valent, illum quoque ne iuvet, opto;  
si minus, at certe te iuvet inde nihil.  
sed quaecumque tamen noctem fortuna sequetur,  
cras mihi constanti voce dedisse nega! 70

---

## V

Aestus erat, mediamque dies exegerat horam;  
adposui medio membra levanda toro.  
pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestrae;  
quale fere silvae lumen habere solent,  
qualia subludent fugiente crepuscula Phoebo, 5  
aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.  
illa verecundis lux est praebenda puellis,  
qua timidus latebras speret habere pudor.  
ecce, Corinna venit, tunica velata recincta,  
candida dividua colla tegente coma— 10  
qualiter in thalamos famosa Semiramis isse  
dicitur, et multis Lais amata viris.  
Deripui tunicam—nec multum rara nocebatur;  
pugnabat tunica sed tamen illa tegi.  
quae cum ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet, 15  
victa est non aegre proditione sua.  
ut stetit ante oculos posito velamine nostros,  
in toto nusquam corpore menda fuit.  
quos umeros, quales vidi tetigique lacertos!  
forma papillarum quam fuit apta premi! 20  
quam castigato planus sub pectore venter!  
quantum et quale latus! quam iuvenale femur!  
Singula quid referam? nil non laudabile vidi  
et nudam pressi corpus ad usque meum.  
Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo. 25  
proveniant mediis sic mihi saepe dies!

## VII

Adde manus in vincla meas—meruere catenas—  
dum furor omnis abit, si quis amicus ades!  
nam furor in dominam temeraria bracchia movit;  
flet mea vaesana laesa puerula manu.  
tunc ego vel caros potui violare parentes 5  
saeva vel in sanctos verbera ferre deos!  
Quid? non et clipei dominus septemplicis Ajax  
stravit deprensos lata per arva greges,  
et, vindicta in matre patris, malus ultor, Orestes  
ausus in arcanas poscere tela deas? 10

ergo ego digestos potui laniare capillos?  
nec dominam motae dedecuere comae.  
sic formosa fuit. talem Schoeneida dicam  
Maenalias arcu sollicitasse feras;  
talis periuri promissaque velaque Thesei        15  
flevit praecipites Cressa tulisse Notos;  
sic, nisi vittatis quod erat Cassandra capillis,  
procubuit templo, casta Minerva, tuo.  
Quis mihi non 'demens!' quis non mihi 'barbare!' dixit?  
ipsa nihil; pavido est lingua retenta metu.        20  
sed taciti fecere tamen convicia vultus;  
egit me lacrimis ore silente reum.  
ante meos umeris vellem cecidisse lacertos;  
utiliter potui parte carere mei.  
in mea vaesanas habui dispendia vires        25  
et valui poenam fortis in ipse meam.  
quid mihi vobiscum, caedis scelerumque ministrac?  
debita sacrilegæ vincla subite manus!  
an, si pulsassem minimum de plebe Quiritem,  
plecterer—in dominam ius mihi maius erit?        30  
pessima Tydides scelerum monimenta reliquit.  
ille deam primus perculit—alter ego!  
et minus ille nocens. mihi, quam profitebar amare  
laesa est; Tydides saevus in hoste fuit.  
I nunc, magnificos victor molire triumphos,        35  
cinge comam lauro votaque redde Iovi,  
quaeque tuos currus comitantum turba sequetur,  
clamet 'io! forti victa puella viro est!'  
ante eat effuso tristis captiva capillo,  
si sinerent laesae, candida tota, genae.        40  
aptius impressis fuerat livere labellis  
et collum blandi dentis habere notam.  
denique, si tumidi ritu torrentis agebar,  
caecaque me praedam fecerat ira suam,  
nonne satis fuerat timidae inclamasce puellæ,        45  
nec nimium rigidas intonusse minas,  
aut tunicam a summa diducere turpiter ora  
ad medium?—mediae zona tulisset opem.  
At nunc sustinui raptis a fronte capillis  
ferreus ingenuas ungue notare genas.        50  
adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu,  
caeduntur Pariis qualia saxa iugis.  
exanimis artus et membra trementia vidi—  
ut cum populeas ventilat aura comas,  
ut leni Zephyro gracilis vibratur harundo,        55  
summave cum tepido stringitur unda Noto;  
suspensaeque diu lacrimæ fluxere per ora,  
qualiter abiecta de nive manat aqua.  
tunc ego me primum coepi sentire nocentem—  
sanguis erant lacrimæ, quas dabat illa, meus.        60  
ter tamen ante pedes volui procumbere supplex;

ter formidatas reppulit illa manus.  
At tu ne dubita—minuet vindicta dolorem—  
  protinus in vultus unguibus ire meos.  
nec nostris oculis nec nostris parce capillis:         65  
  quamlibet infirmas adiuvat ira manus;  
neve mei sceleris tam tristia signa supersint,  
  pone recompositas in statione comas!

---

## VIII

Est quaedam—quicumque volet cognoscere lenam,  
  audiat!—est quaedam nomine Dipsas anus.  
ex re nomen habet—nigri non illa parentem  
  Memnonis in roseis sobria vedit equis.  
illa magas artes Aeaeaque carmina novit         5  
  inque caput liquidas arte recurvat aquas;  
scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo  
  licia, quid valeat virus amantis equae.  
cum voluit, toto glomerantur nubila caelo;  
  cum voluit, puro fulget in orbe dies.         10  
sanguine, siqua fides, stillantia sidera vidi;  
  purpureus Lunae sanguine vultus erat.  
hanc ego nocturnas versam volitare per umbras  
  suspicer et pluma corpus anile tegi.  
suspicer, et fama est. oculis quoque pupula duplex         15  
  fulminat, et gemino lumen ab orbe venit.  
evocat antiquis proavos atavosque sepulcris  
  et solidam longo carmine findit humum.  
Haec sibi proposuit thalamos temerare pudicos;  
  nec tamen eloquio lingua nocente caret.         20  
fors me sermoni testem dedit; illa monebat  
  talia—me duplices occuluere fores:  
'scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?  
  haesit et in vultu constitit usque tuo.  
et cur non placeas? nulli tua forma secunda est;         25  
  me miseram, dignus corpore cultus abest!  
tam felix esses quam formosissima, vellem—  
  non ego, te facta divite, pauper ero.  
stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.  
  Mars abiit; signo nunc Venus apta suo.         30  
prosit ut adveniens, en adspice! dives amator  
  te cupiit; curae, quid tibi desit, habet.  
est etiam facies, qua se tibi conparet, illi;  
  si te non emptam vellet, emendus erat.'  
Erubuit. 'decet alba quidem pudor ora, sed iste,  
  si simules, prodest; verus obesse solet.  
cum bene deiectis gremium spectabis ocellis,  
  quantum quisque ferat, respiciendus erit.  
forsitan inmundae Tatio regnante Sabinae         35

noluerint habiles pluribus esse viris; 40  
nunc Mars externis animos exercet in armis,  
at Venus Aeneae regnat in urbe sui.  
ludunt formosae; casta est, quam nemo rogavit—  
aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.  
has quoque, quae frontis rugas in vertice portant, 45  
excute; de rugis crimina multa cadent.  
Penelope iuvenum vires temptabat in arcu;  
qui latus argueret, corneus arcus erat.  
labitur occulte fallitque volubilis aetas,  
ut celer admissis labitur amnis aquis. 50  
aera nitent usu, vestis bona quaerit haberis,  
canescunt turpi tecta relicta situ—  
forma, nisi admittas, nullo exerceente senescit.  
nec satis effectus unus et alter habent;  
certior e multis nec tam invidiosa rapina est. 55  
plena venit canis de grege praeda lupis.  
Ecce, quid iste tuus praeter nova carmina vates  
donat? amatoris milia multa leges.  
ipse deus vatum palla spectabilis aurea  
tractat inauratae consona fila lyrae. 60  
qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero;  
crede mihi, res est ingeniosa dare.  
nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus,  
despice; gypsati crimen inane pedis.  
nec te decipient veteres circum atria cerae. 65  
tolle tuos tecum, pauper amator, avos!  
qui, quia pulcher erit, poscet sine munere noctem,  
quod det, amatorem flagitet ante suum!  
Parcius exigito pretium, dum retia tendis,  
ne fugiant; captos legibus ure tuis! 70  
nec nocuit simulatus amor; sine, credat amari,  
et cave ne gratis hic tibi constet amor!  
saepe nega noctes. capitis modo finge dolorem,  
et modo, quae causas praebeat, Isis erit.  
mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum, 75  
neve relentescat saepe repulsus amor.  
surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti;  
audiat exclusi verba receptus amans;  
et, quasi laesa prior, nonnumquam irascere laeso—  
vanescit culpa culpa repensa tua. 80  
sed numquam dederis spatisum tempus in iram:  
saepe simultates ira morata facit.  
quin etiam discant oculi lacrimare coacti,  
et faciant udas illa vel ille genas;  
nec, si quem falles, tu periurare timeto— 85  
commodat in lusus numina surda Venus.  
servus et ad partes sollers ancilla parentur,  
qui doceant, apte quid tibi possit emi;  
et sibi pauca rogent—multos si pauca rogabunt,  
postmodo de stipula grandis acervus erit. 90

et soror et mater, nutrita quoque carpat amantem;  
fit cito per multas praeda petita manus.  
cum te deficient poscendi munera causae,  
natalem libo testificare tuum!  
Ne securus amet nullo rivale, caveto;                   95  
non bene, si tollas proelia, durat amor.  
ille viri videat toto vestigia lecto  
factaque lascivis livida colla notis.  
munera praecipue videat, quae miserit alter.  
si dederit nemo, Sacra roganda Via est.               100  
cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet,  
quod numquam reddas, commodet, ipsa roga!  
lingua iuvet mentemque tegat—blandire noceque;  
inpia sub dulci melle venena latent.  
Haec si praestiteris usu mihi cognita longo,           105  
nec tulerint voces ventus et aura meas,  
saepe mihi dices vivae bene, saepe rogabis,  
ut mea defunctae molliter ossa cubent.'  
Vox erat in cursu, cum mea prodidit umbra,  
at nostrae vix se continuere manus,                   110  
quin albam raramque comam lacrimosaque vino  
lumina rugosas distraherentque genas.  
di tibi dent nulosque Lares inopemque senectam,  
et longas hiemes perpetuamque sitim!

---

## IX

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido;  
Attice, crede mihi, militat omnis amans.  
quae bello est habilis, Veneri quoque convenit aetas.  
turpe senex miles, turpe senilis amor.  
quos petiere duces animos in milite forti,           5  
hos petit in socio bella puella viro.  
pervigilant ambo; terra requiescit uterque—  
ille fores dominae servat, at ille ducis.  
militis officium longa est via; mitte puellam,  
strenuus exempto fine sequetur amans.               10  
ibit in adversos montes duplicataque nimbo  
flumina, congestas exteret ille nives,  
nec freta pressurus tumidos causabitur Euros  
aptaque verrendis sidera quaeret aquis.  
quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis      15  
et denso mixtas perferet imbre nives?  
mittitur infestos alter speculator in hostes;  
in rivale oculos alter, ut hoste, tenet.  
ille graves urbes, hic durae limen amicæ  
obsidet; hic portas frangit, at ille fores.           20  
Saepe soporatos invadere profuit hostes  
caedere et armata vulgus inerme manu.

sic fera Threicii ceciderunt agmina Rhesi,  
et dominum capti deseruistis equi.  
nempe maritorum somnis utuntur amantes,        25  
et sua sopitis hostibus arma movent.  
custodum transire manus vigilumque catervas  
militis et miseri semper amantis opus.  
Mars dubius nec certa Venus; victique resurgunt,  
quosque neges umquam posse iacere, cadunt.        30  
Ergo desidiam quicunque vocabat amorem,  
desinat. ingenii est experientis amor.  
ardet in abducta Briseide magnus Achilles—  
dum licet, Argeas frangite, Troes, opes!  
Hector ab Andromaches complexibus ibat ad arma,        35  
et, galeam capiti quae daret, uxor erat.  
summa ducum, Atrides, visa Priameide fertur  
Maenadis effusis obstipuisse comis.  
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit;  
notior in caelo fabula nulla fuit.        40  
ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus;  
mollierant animos lectus et umbra meos.  
inpulit ignavum formosae cura puellae  
iuussit et in castris aera merere suis.  
inde vides agilem nocturnaque bella gerentem.        45  
qui nolet fieri desidiosus, amet!

# OVID *Ars Amatoria I*

Principio, quod amare velis, reperire labora, 35  
Qui nova nunc primum miles in arma venis.  
Proximus huic labor est placitam exorare puellam:  
Tertius, ut longo tempore duret amor.  
Hic modus, haec nostro signabitur area curru:  
Haec erit admissa meta terenda rota. 40  
Dum licet, et loris passim potes ire solutis,  
Elige cui dicas 'tu mihi sola places.'  
Haec tibi non tenues veniet delapsa per auras:  
Quaerenda est oculis apta puella tuis.  
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat, 45  
Scit bene, qua frendens valle moretur aper;  
Aucupibus noti frutices; qui sustinet hamos,  
Novit quae multo pisce natentur aquae:  
Tu quoque, materiam longo qui quaeris amori,  
Ante frequens quo sit disce puella loco. 50  
Non ego quaerentem vento dare vela iubebo,  
Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.  
Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,  
Raptaque sit Phrygio Graia puella viro,  
Tot tibi tamque dabit formosas Roma pueras, 55  
'Haec habet' ut dicas 'quicquid in orbe fuit.'  
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,  
Aequore quot pisces, fronde teguntur aves,  
Quot caelum stellas, tot habet tua Roma pueras:  
Mater in Aeneae constitut urbe sui. 60  
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis,  
Ante oculos veniet vera puella tuos:  
Sive cupis iuvenem, iuvenes tibi mille placebunt.  
Cogeris voti nescius esse tui:  
Seu te forte iuvat sera et sapientior aetas, 65  
Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.  
Tu modo Pompeia lento spatiare sub umbra,  
Cum sol Herculei terga leonis adit:  
Aut ubi muneribus nati sua munera mater  
Addidit, externo marmore dives opus. 70  
Nec tibi vitetur quae, priscis sparsa tabellis,  
Porticus auctoris Livia nomen habet:  
Quaque parare necem miseris patrueibus ausae  
Belides et stricto stat ferus ense pater.  
Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis, 75  
Cultaque Iudeo septima sacra Syro.  
Nec fuge linigerae Memphitica templia iuvencae:  
Multas illa facit, quod fuit ipsa Iovi.

Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori:  
Flammaque in arguto saepe reperta foro: 80  
Subdita qua Veneris facto de marmore templo  
    Appias expressis aera pulsat aquis,  
Illo saepe loco capitur consultus Amori,  
    Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi:  
Illo saepe loco desunt sua verba diserto, 85  
    Resque novae veniunt, causaque agenda sua est.  
Hunc Venus e templis, quae sunt confinia, ridet:  
    Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.  
Sed tu praecipue curvis venare theatris:  
    Haec loca sunt voto fertiliora tuo. 90  
Illic invenies quod ames, quod ludere possis,  
    Quodque semel tangas, quodque tenere velis.  
Ut reddit itque frequens longum formica per agmen,  
    Granifero solitum cum vehit ore cibum,  
Aut ut apes saltusque suos et olentia nactae 95  
    Pascua per flores et thyma summa volant,  
Sic ruit ad celebres cultissima femina ludos:  
    Copia iudicium saepe morata meum est.  
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae:  
    Ille locus casti damna pudoris habet. 100  
Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos,  
    Cum iuvit viduos rapta Sabina viros.  
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,  
    Nec fuerant liquido pulpita rubra croco;  
Illic quas tulerant nemorosa Palatia, frondes 105  
    Simpliciter positae, scena sine arte fuit;  
In gradibus sedit populus de caespite factis,  
    Qualibet hirsutas fronde tegente comas.  
Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam  
    Quam velit, et tacito pectore multa movent. 110  
Dumque, rudem praebente modum tibicine Tusco,  
    Ludius aequatam ter pede pulsat humum,  
In medio plausu (plausus tunc arte carebant)  
    Rex populo praedae signa petita dedit.  
Protinus exiliunt, animum clamore fatentes, 115  
    Virginibus cupidas iniciuntque manus.  
Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbae,  
    Ut fugit invisos agna novella lupos:  
Sic illae timuere viros sine more ruentes;  
    Constitit in nulla qui fuit ante color. 120  
Nam timor unus erat, facies non una timoris:  
    Pars laniat crines, pars sine mente sedet;  
Altera maesta silet, frustra vocat altera matrem:  
    Haec queritur, stupet haec; haec manet, illa fugit;  
Ducuntur raptae, genialis praeda, puellae, 125

Et potuit multas ipse decere timor.  
Siqua repugnarat nimium comitemque negabat,  
    Sublatam cupido vir tulit ipse sinu,  
Atque ita 'quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?  
    Quod matri pater est, hoc tibi' dixit 'ero.'                  130  
Romule, militibus scisti dare commoda solus:  
    Haec mihi si dederis commoda, miles ero.  
Scilicet ex illo sollemnia more theatra  
    Nunc quoque formosis insidiosa manent.  
Nec te nobilium fugiat certamen equorum;                  135  
    Multa capax populi commoda Circus habet.  
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,  
    Nec tibi per nutus accipienda nota est:  
Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto,  
    Iunge tuum lateri qua potes usque latus;                  140  
Et bene, quod cogit, si nolis, linea iungi,  
    Quod tibi tangenda est lege puella loci.  
Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,  
    Et moveant primos publica verba sonos.  
Cuius equi veniant, facito, studiose, requiras:                  145  
    Nec mora, quisquis erit, cui favet illa, fave.  
At cum pompa frequens caelestibus ibit eburnis,  
    Tu Veneri dominae plaude favente manu;  
Utque fit, in gremium pulvis si forte puellae  
    Deciderit, digitis excutiendus erit:                  150  
Etsi nullus erit pulvis, tamen excute nullum:  
    Quaelibet officio causa sit apta tuo.  
Pallia si terra nimium demissa iacebunt,  
    Collige, et inmunda sedulus effer humo;  
Protinus, officii pretium, paciente puella                  155  
    Contingent oculis crura videnda tuis.  
Respice praeterea, post vos quicumque sedebit,  
    Ne premat opposito mollia terga genu.  
Parva leves capiunt animos: fuit utile multis  
    Pulvinum facilis composuisse manu.                  160  
Profuit et tenui ventos movisse tabella,  
    Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.  
Hos aditus Circusque novo praebebit amori,  
    Sparsaque sollicito tristis harena foro.  
Illa saepe puer Veneris pugnavit harena,                  165  
    Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.  
Dum loquitur tangitque manum poscitque libellum  
    Et quaerit posito pignore, vincat uter,  
Saucius ingemuit telumque volatile sensit,  
    Et pars spectati muneris ipse fuit.                  170  
Quid, modo cum belli navalis imagine Caesar  
    Persidas induxit Cecropiasque rates?

Nempe ab utroque mari iuvenes, ab utroque puellae  
    Venere, atque ingens orbis in Urbe fuit.  
Quis non invenit turba, quod amaret, in illa?                  175  
    Eheu, quam multos advena torsit amor!  
Ecce, parat Caesar domito quod defuit orbi  
    Addere: nunc, oriens ultime, noster eris.  
Parthe, dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,  
    Signaque barbaricas non bene passa manus.                  180  
Ultor adest, primisque ducem profitetur in annis,  
    Bellaque non puer tractat agenda puer.  
Parcite natales timidi numerare deorum:  
    Caesaribus virtus contigit ante diem.  
Ingenium caeleste suis velocius annis                  185  
    Surgit, et ignavae fert male damna morae.  
Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues  
    Pressit, et in cunis iam Iove dignus erat.  
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti,  
    Cum timuit thyrsos India victa tuos?                  190  
Auspiciis annisque patris, puer, arma movebis,  
    Et vinces annis auspiciisque patris:  
Tale rudimentum tanto sub nomine debes,  
    Nunc iuvenum princeps, deinde future senum;  
Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere laesos:                  195  
    Cumque pater tibi sit, iura tuere patris.  
Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque:  
    Hostis ab invito regna parente rapit;  
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas:  
    Stabit pro signis iusque piumque tuis.                  200  
Vincuntur causa Parthi: vincantur et armis;  
    Eoas Latio dux meus addat opes.  
Marsque pater Caesarque pater, date numen eunti:  
    Nam deus e vobis alter es, alter eris.  
Auguror, en, vinces; votivaque carmina reddam,                  205  
    Et magno nobis ore sonandus eris.  
Consistes, aciemque meis hortabere verbis;  
    O desint animis ne mea verba tuis!  
Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam,  
    Telaque, ab averso quae iacit hostis equo.                  210  
Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis?  
    Parthe, malum iam nunc Mars tuus omen habet.  
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,  
    Quattuor in niveis aureus ibis equis.  
Ibunt ante duces onerati colla catenis,                  215  
    Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.  
Spectabunt laeti iuvenes mixtaeque puellae,  
    Diffundetque animos omnibus ista dies.  
Atque aliqua ex illis cum regum nomina quaeret,

Quae loca, qui montes, quaeve ferantur aquae,                    220  
Omnia responde, nec tantum siqua rogabit;  
Et quae nescieris, ut bene nota refer.  
Hic est Euphrates, praecinctus harundine frontem:  
Cui coma dependet caerulea, Tigris erit.  
Hos facito Armenios; haec est Danaea Persis:                225  
Urbs in Achaemeniis vallibus ista fuit.  
Ille vel ille, duces; et erunt quae nomina dicas,  
Si poteris, vere, si minus, apta tamen.

## Level 3bii

## Lucretia – Her Story in Livy and Ovid

The background to this story is the overthrow of Rome's last king, the tyrant Tarquinius. Lucretia's rape is seen as a last terrible and unacceptable act on the part of the Tarquin family. Rome in future will have consuls, the first of whom is Brutus.

There are English translations of Livy Books 1 – 5 in both Penguin and Oxford Classics series – do use them freely. Also Ovid Fasti is in Penguin Classics.

The texts here are: Livy Book 1 Chapters 57,58,59,60.

Ovid Fasti ii lines 685 -852.

Livy Book 1 Chapter 9.

If time permits, Livy's version of the Rape of the Sabine Women (Livy 1 chapter 9) may be compared with Ovid's version in Ars Amatoria Book 1, which is included in the Ovid section of your text.

---

As a start, here is a brief summary of the Lucretia story, before you start Livy ch.57

*Livy, in the first part of his history of Rome, describes the downfall of the kings and the establishment of the republic. The following incident hastened the overthrow of Rome's final king, Tarquin the Proud.*

Rōma regēbātur ā tyrannō superbō, cuius filius erat Sextus Tarquinius. Quādam nocte cum Tarquinius vīnum biberet cum amīcīs, coēperunt quisque uxōrem suam laudāre. Collātīnus dīxit suam Lucrētiā omnibus cēterīs praestāre:  
 5 "Nōs cōfērāmus in mēas aedēs videāmusque quid mea uxor nunc agat. Tum sciētis quantō melior sit mea Lucrētia quam aliae." Omnēs respondērunt, "Discēdāmus!" Cum ad illās aedēs vēnissent, fidēlem Lucrētiā nōn lūdentem, sed lānam dūcentem invēnērunt. Sextus, cum vidēret  
 10 quam pulchra et pudīca Lucrētia esset, malō amōre captus est. Paucīs diēbus post, cum abesset Collātīnus, iste revēnit. Cum, cēnā oblātā, in hospitāle cubiculum ductus esset, ad dormientem Lucrētiā vēnit: "Tacē!" inquit. "Sextus Tarquinius sum; ferrum in manū ferō. Cēde mihi aut tē'  
 15 necābō!" Cum Lucrētia necārī māllēt, dēnique tamen vīcit Sextus eius pudīcītiam. Tum discessit. Sed Lucrētia omnia haec narrāvit Collātīnō, quī iūrāvit sē Sextum necātūrum esse. Tum Lucrētia sē necāvit, nē aliīs uxōribus vidērētur  
 20 malō exemplō esse: "Ego mē culpā absolvō, sed poenā nōn liberō," occidēns dīxit.

—adapted from Livy 1.57.6–58.11

\* Sextus Tarquinius

---

Chapter 57 begins with the siege of the town/city of Ardea, which the King is attacking.

57

Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea  
regione atque in ea aetate, divitiis praepollens;  
eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum  
ipse ditar, exhaustus magnificentia publicorum  
operum, tum praeda delenire popularium animos  
<sup>2</sup> studebat, praeter aliam superbiam regno infestos  
etiam quod se in fabrorum ministeriis ac servili tam  
3 diu habitos opere ab rege indignabantur. Temptata  
res est, si primo impetu capi Ardea posset; ubi id  
parum processit, obsidione munitionibusque coepti  
4 premi hostes. In his stativis, ut fit longo magis  
quam acri bello, satis liberi commeatut erant, pri-  
5 moribus tamen magis quam militibus; regii quidem  
iuvenes interdum otium convivis comisationibusque  
6 inter se terebant. Forte potantibus his apud Sex.<sup>15</sup>  
Tarquinium, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius,  
Egeri filius, incidit de uxoribus mentio. Suam quis-  
7 que laudare miris modis; inde certamine accenso  
Collatinus negat verbis opus esse; paucis id quidem  
horis posse sciri quantum ceteris praestet Lucretia,  
sua. 'Quin, si vigor iuventae inest, condescendimus  
id cuique spectatissimum sit quod nec opinato viri  
8 adventu occurrerit oculis.' Incaluerant vino; 'Age  
sane' omnes; citatis equis avolant Roman. Quo<sup>25</sup>  
cum primis se intendentibus tenebris pervenissent,  
9 pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudqua-  
quam ut regias nurus, quas in convivio luxuque  
cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte  
sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in  
medio aedium sedentem invenient. Muliebris certa-  
10 minis lans penes Lucretiam fuit. Adventiens vir  
Tarquinique excepti benigne; victor maritus comi-  
ter invitat regios iuvenes. Ibi Sex. Tarquinum mala  
libido Lucretiae per vim stuprandae capit; cum  
11 forma tun spectata castitas incitat. Et tum quidem  
ab nocturno iuvenali ludo in castra redeunt.

*The foul deed of Sextus Tarquinius.*

58

Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio  
2 Collatino cum comite uno Collatiam venit. Ubi  
exceptus benigne ab ignaris consilii cum post cenam  
in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens,  
postquam satis tuta circa sopitique omnes videban-  
5 tur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit,  
sinistraque manu mulieris pectore oppresso 'Tace,  
Lucretia' inquit; 'Sex. Tarquinius sum; ferrum  
3 in manu est; moriere, si emiseris vocem.' Cum  
pavida ex somno mulier nullam opem, prope mortem  
imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem,  
orare, miscere precibus minas, versare in omnes  
4 partes muliebrem animum. Ubi obstinatam videbat  
et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum  
dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum  
15 positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur.  
5 Quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam velut  
(vi) *victrix libido*, profectusque inde Tarquinius ferox  
expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta  
tanto malo nuntium Romam eundem ad patrem<sup>20</sup>  
Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus  
amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse;  
6 rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio  
Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit, cum  
quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat con-<sup>25</sup>  
ventus. Lucretiam sedentem maestam in cubiculo  
7 inveniunt. Adventu suorum lacrimae obortae,  
quaerentique viro 'Satin' salve? 'Minime' inquit;

'quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? Ves-  
tigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum<sup>30</sup>  
corpus est tantum violatum, animus insonis; mors  
testis erit. Sed date dexteras fidemque haud impune  
8 adultero fore. Sex. est Tarquinius, qui hostis pro  
hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos  
9 viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium.' Dant<sup>35</sup>  
ordine omnes fidem; consolantur aegram animi  
avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti:  
mentem peccare, non corpus et, unde consilium  
10 afuerit culpam abesse. 'Vos' inquit 'videritis quid  
illi debeatur; ego me etsi peccato absolvō, supplicio<sup>40</sup>  
non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae  
11 exemplo vivet.' Cultrum, quem sub veste abditum  
habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in vulnus  
12 moribunda cecidit. Conclamat vir paterque.

*Brutus leads the Romans against the reigning house of the Tarquins.*

59. Brutus illis luctu occupatis cultrum ex vulnere Lucretiae extractum, manantem cruento praes tenens, ' Per hunc ' inquit ' castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque, di, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exsecuturum, nec illos nec alium quemquam regnare Romae passurum.' Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium.

Ut praeceptum erat iurant; totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem.

Elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei novae atque indignitate homines. Pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. Movet cum patris maestitia, tum Brutus castigator lacrimarum atque inertium querellarum auctorque quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adversus hostilia ausos. Ferocissimus quisque iuvenum cum armis voluntarius adest; sequitur et cetera iuventus. Inde patre praeside relieto Collatiae [ad portas] custodibusque datis, ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri armati duce Bruto Romam profecti. Ubi eo ventum est, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit: rursus ubi anteire primores civitatis vident, quidquid sit, haud temere esse rentur. Nec minorem motum animorum Romae tam atrox res facit quam Collatiae fecerat; ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur. Quo simul ventum est, praeco ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. Ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingeniique quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sex. Tarquini, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitate Tricipitini, cui morte filiae causa mortis indignior ac miserabilior esset. Addita superbia ipsius regis miseriaeque et labores plebis in fossas

cloacasque exhauriendas demersae; Romanos 40 homines, victores omnium circa popolorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna Ser. Tulli regis memorata caedes et invecta corpori patris nefandoque vehiculo filia, invocatique ultores parentum di. His atrocioribusque, credo, aliis, quae 45 praesens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subicit, memoratis incensam multitudinem perpulit ut imperium regi abrogaret exsulesque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis. Ipse iunioribus qui ultiro nomina dabant 50 lectis armatisque, ad concitandum inde adversus regem exercitum Ardeam in castra est profectus: imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis iam ante 13 ab rege instituto, relinquuit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit exsecrantibus quacumque 55 incedebat invocantibusque parentum furias viris mulieribusque.

*The banishment of the Tarquini and the election of the first Consuls.*

60. Harum rerum nuntiis in castra perlatis cum re nova trepidus rex pergeret Romam ad comprimentos motus, flexit viam Brutus—senserat enim adventum —ne obvius fieret; eodemque fere tempore diversis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinus Romam 52 venerunt. Tarquinio clausae portae exsiliumque indictum: liberatorem urbis laeta castra accepere exactique inde liberi regis. Duo patrem secuti sunt,

qui exsulatum Caere in Etruscos ierunt. Sex. Tarquinus Gabios tamquam in suum regnum profectus, 10 ab ultiro veteranum simultatum, quas sibi ipse caedibus rapinisque concierat, est interfactus.

3. L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti. Regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor. Duo 15 consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Ser. Tulli creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

*Ovid Fasti ii, 685-852*

- 685 nunc mihi dicenda est regis fuga: traxit ab illa  
sextus ab extremo nomina mense dies.  
ultima Tarquinius Romanae gentis habebat  
regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen.  
ceperat hic alias, alias everterat urbes,  
et Gabios turpi fecerat arte suos
- 690 manque trium minimus, proles manifesta Superbi,  
in medios hostes nocte silente venit.  
nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem!  
hoc cupiant fratres Tarquiniusque pater,  
qui mea crudeli laceravit verbere terga.
- 695 dicere ut hoc posset, verbera passus erat.  
luna fuit; spectant iuvenem gladiosque recondunt  
tergaque deducta veste notata vident.  
fleint quoque et ut secum tueatur bella precantur;
- 700 callidus ignaris adiuit ille viris.  
iamque potens miss genitorem appellat amico,  
perdendi Gabios quod sibi monstret iter.  
hortus odoratis suberat cultissimus herbis  
sectus humum rivo lene sonantis aquae.
- 705 illic Tarquinius manda latentia nati  
accipit, et virga lilia summa metit.  
nuntius ut rediit decussaque lilia dixit,  
filius Agnosco iussa parentis, ait.
- 710 nec mora: principibus caesis ex urbe Gabina  
traduntur ducibus moenia nuda suis.  
ecce, nefas visu: mediis altaribus anguis

exit et extinctis ignibus extra rapit.  
consulitur Phoebus: sors est ita reddit: Matri

qui dederit princeps oscula, victor erit.

oscula quisque suae matri properata tulerunt,

non intellecto credula turba deo.

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset

tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis;

ille iacens pronus matri dedit oscula Terra,

creditus offenso procubuisse pede.

cingiur interea Romanis Ardea signis

et patitur longas obsidiione moras.

dum vacat et metuunt hostes committere pugnam,

Iuditur in castris; otia miles agit.

- 750 improba, quae noscet cogis abesse viros.  
 sint tantum reduces! sed enim temerarius ille  
 est meus et stricto quolibet ense ruit.
- 755 mens abit et morior quotiens pugnantis imago  
 me subit, et gelidum pectora frigus habet.  
 desinit in lacrimas intentaque fila remittit,  
 in gremio vultum deposuitque suum.
- 760 hoc ipsum decuit; lacrimae decuere pudicae,  
 et facies animo dignaque parque fuit.  
 Pone metum: veni! coniunx ait. illa revixit  
 deque viri collo dulce peperdit omus.
- interea iuvenis furiales regius ignes  
 concipit et caeco raptus amore furi.
- 765 forma placet niveisque color flavique capilli,  
 quique aderat nulla factus ab arte decor;  
 verba placent et vox et quod corrumpere non est,  
 quoque minor spes est hoc magis ille cupid.
- 770 iam dederat cantus lucis praemunitus ales  
 cum referunt iuvenes in sua castra pedem.  
 carpitur attonitos absentis imagine sensus  
 ille. recordanti plura magisque placent:
- Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,  
 neglectae collo sic iacuere comae;
- hos habuit vultus, haec illi verba fuerunt,  
 hic color, haec facies, hic decor oris erat.
- 775 ut solet a magno fluctus languescere flatu,  
 sed tamen a vento qui fuit unda venit,  
 sic quamvis aberat placitae praesentia formae,  
 quem dederat praesens forma manebat amor.
- 780 ardet et iniusti stimulis agitatus amoris  
 comparat indigno vimque metumque toro.  
 Exitus in dubiost: audibimus ultima! dixit:  
 Viderit: audentes forsque deusque iuvat.  
 Cepimus audendo Gabios quoque. talia fatus  
 ense latus cinxit tergaque pressit equi.
- 790 quantum animis erroris inest! parat inscia rerum  
 functus erat dapibus; poscent sua tempora somnum;
- 795 nox erat et tota lumina nulla domo.  
 surgit et aurata vagina deripit ensam  
 et venit in thalamos, nuptia pudica, tuos.
- 800 utque torum pressit, Ferrum, Lucretia, mecumst.  
 natus, ait, regis Tarquiniusque loquor.  
 illa nihil: neque enim vocem viresque loquendi  
 aut aliquid toto pectora menis habet,  
 sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relicts  
 parva sub infesto cum iacet agna lupo.
- 805 quid faciat? pugnet? vincetur femina pugnans.  
 clamet? at in dextra qui vetet ensis erat.  
 effugiat? positis urgentur pectora palmis,  
 tunc primum externa pectora tacta manu.
- 810 instat amans hostis precibus pretioque minisque:  
 nec prece nec pretio nec movet ille minis.  
 Nil agis; eripiam, dixit, per crimina vitam:  
 falsus adulterii testis adulter ero:  
 interim famulum cum quo deprena fereris.
- 815 quid, victor, gaudes? haec te Victoria perdet.  
 heu, quanto regnis nox stetit una tuis.  
 iamque erat orta dies; passis sedet illa capillis,  
 ut solet ad nati mater itura rogum,
- 820 grandaevumque patrem fido cum coniuge castris  
 evocat, et posita venit uterque mora.  
 utque violent habitum, quae luctus causa requirunt,  
 cui paret exsequias, quove sit icta malo.  
 illa diu retinet pudibundaque velat amictu
- 825 non oculos ideo sustulit illa suos.  
 Hoc quoque Tarquinio clebebimus? eloquar, inquit,  
 eloquar infelix dedecus ipsa meum?
- 830 Quam, dixit, veniam vos datis, ipsa nego.  
 nec mora: celato fixit sua pectora ferro  
 et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
- 835 tunc quoque iam moriens ne non procuabat honeste  
 respicit; haec etiam cura cadentis erat.
- 840 ecce super corpus communia dama gementes  
 obliiti decoris virque paterque iacent.  
 Brutus adest tandemque animo sua nomina fallit,  
 fixaque semianimi corpore tela rapit,  
 stillantemque tenens generoso sanguine cultrum  
 edidit impavidos ore minante sonos:  
 Per tibi ego hunc iuro fortè castumque cruentum  
 perque tuos Manes, qui mihi numen erunt,  
 Tarquinium profuga poemas cum stirpe daturum.  
 iam satis est virtus dissimulata diu.  
 illa iacens ad verba oculos sine lumine movit  
 visaque concussa dicta probare coma.
- 845 fertur in exsequias animi matrona virilis  
 et secum lacrimas invidiamque trahit.  
 vulnus inane patet. Brutus clamore Quirites  
 concitat et regis facta nefanda refert.  
 Tarquinius cum prole fugit, capit annua consul
- 850 iura, dies regnis illa suprema fuit.

## Livy 1. 9.

*The rape of the Sabine women provides wives for the Romans.*

9. Iam res Romana adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat, quippe quibus nec domi spes proliis nec cum finitimis conubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus 5 legatos circa vicinas gentes misit qui societatem conubiumque novo populo peterent: urbes quoque ut cetera, ex infimo nasci; dein, quas sua virtus ac di iuuent, magnas opes sibi magnumque nomen facere; 4 satis scire origini Romanae et deos adfuisse et 10 non defuturam virtutem; proinde ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem ac genus 5 miscere. Nusquam benigne legatio audita est; adeo simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. 15 Ac plerisque rogitantibus dimissi ecquod feminis quoque asylum aperuissent: id enim demum compar 6 conubium fore. Aegre id Romana pūbes passa et haud dubie ad vim spectare res coepit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus, aegritudinem 20 animi dissimulans, ludos ex industria parat Neptuno 7 equestri sollemnes; Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet; quantoque apparatus sciebant aut poterant, concelebrant ut rem 8 claram exspectatamque ficerent. Multi mortales 25 convenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini,

9 Antennates; iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Invitati hospitaliter per domos cum situm moeniaque et frequentem tectis 30 urbem vidissent, mirantur tam brevi rem Romanam creuisse. Ubi spectaculi tempus venit deditaeque eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis signoque dato iuventus Romana ad rapiendas virgines 10 discurrit. Magna pars forte in quem quaeque in- 35 ciderat raptae; quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines quibus 11 datum negotium erat domos deferebant. Unam ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassii cuiusdam raptam ferunt multisque 40 sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem ne quis violaret Thalassio ferri clamitatum; inde nuptialem hanc vocem factam.

13. Turbato per metum ludicro maesti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitii foedus 45 deumque invocantes cuius ad sollempne ludosque per fas ac fidem decepti venissent. Nec raptis aut spes de se melior aut indignatio est minor. Sed ipse Romulus circumbat docebatque patrum id superbia factum qui conubium finitimis negassent; illas 50 tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium civitatisque et quo nihil carius humano generi sit liberum fore; mollirent modo iras et, quibus fors corpora dedisset, darent animos; saepe ex iniuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras viris quod adnisurus pro se quisque sit ut, 55 cum suam vicem functus officio sit, parentium etiam patriaeque expleat desiderium. Accedebant blanditiae virorum, factum purgantium cupiditate atque amore, quae maxime ad muliebre ingenium efficaces 60 preces sunt.